



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Pavlus Episc. 8. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

oſ 98. (o)

ris! si cum Deo, quām parum! Quoties in die
Deum oras? Erubelce, & in futūrum tibi ipse o-
randi præfinias tempus, quod semper & ubique
expleas.

2. At (inquieris) præ negotiorum copiâ orationi
vacare minūs possum, tametsi maximè velim; cum
S. Gregorio respondeo tibi, quò quis graviori ne-
gotiorum mole opprimitur, eò longiori & arden-
tiori indiget oratione; ea siquidem, ut recte & sine
peccato perficiat, validiori auxilio opus habet. In
omnibus Deum consule: roga cum, ut te adjuvet.
Hæc si semper feceris, omnia tibi prosperè cadent.

3. Si tamen aliquando præ negotiorum multitu-
dine preces omiseris, consilii JESU Christi memor:
VIGILATE ET ORATE, semihoram certè somno
destinatam orationi concedas, hoc nullatenus no-
cebbit tuæ sanitati, hoc faciunt tot pii viri, & qui-
dem citra valetudinis incommodeum. Tu quoque
toties vigilas, ut ludo, aut rebus alicujus momenti
incumbas. Parum temporis subtrahas occupatio-
nibus illis, quæ faciunt, ut duram & molestam vi-
tam vivens, otium non habeas vacandi tuæ saluti.
*Abiçiantur omnia quæ præsentem hanc vitam faciunt
brevem occupationi, longam dolori.* Euch.

S. PAVLVS EPISC.

8. Februarii.

*Quicunq; voluerit inter vos major
fieri, sit vester minister.* S. Matth. c. 20.

SPaulus non solum nomine, sed vita & memoribus egregius D. Pauli imitator, in Gallia Belgica ortus est. Iam puer una cum litteris ita virtutem imbibit, ut vix mundo notus, ea quae mundi sunt generosus contemperit, cujus ut omne vitaret commercium, Abrahams exemplo, solius Dei comitatus fiduciâ, exivit è terra & cognatione sua in exterias regiones, ut cum Christo (vulpibus foveas, & volucribus nidos suos habentibus) pauperior non haberet ubi caput reclinaret. Elongavit se cum Davide fugiens & mansit in solitudine Vogasi. Sed virtutis fama latere non potuit, nec tam ardens sanctitatis lucerna longius abscondi. Quare à Dagoberto Galliarum Rege è Monasterio vi & invitus, eximius honorū contemptor, extractus, Virdunensis Ecclesiæ creatur Episcopus, cui ita præfuit, ut eam non tantum virtutum suarum Thesauro, sed copiosis redditibus locupletarit. Ne vero sibi decessent divitiae, plenus dierum & mitterum ad æternas, quas nulla consumit tinca, evocatur, dignum tot virtutum & laborum præmium accepturus.

o) 100. (o)
M E D I T A T I O

De triplici causa Humilitatis.

1. **V**Era Humilitas nititur in cognitione sui ipsius : priusquam te Deus creasset , quid ubi eras ? in nihilo planè , ex quo nimirum suâ charitate te eduxit. Gloriaris tamen , teque divinæ gloriz idoneum , hominum saluti necessarium , comparandis privatis rebus non inutilem arbitraris. Antequam nascereris , Deus & homines tuâ operâ facile caruerunt , certè te mortuo non difficilius.

2. In præsentia , quid es ? si corpus inspicias , corruptionem ; si animam , ignorantiam , ac peccatum deprehendis : haud absimilis est vita tua facis illius , quam Divus Paulus manu tenet , aquæ guttulâ , vel minimo flatu potest restingui . Cura valedicinem , quantum volueris , tandem aliquando morieris , & evanescere ampla tua consilia . O homo ! si tuæ naturæ humilitatem cognosceres , cognosceres utique Dei sublimitatem , teq; coram Deo despiceres . *Ut cognoscere Deum possit , te anti cognoscere.* Cyprian.

3. Quid eris totâ æternitate ? An orci victimâ an hæres Paradisi ? magnum ænigma . Potes gloriari , hoc si mediteris & nescio , quò post mortem sim iturus : corpus quidem in sepulchrum efferetur , sed quò anima ? Itaque coram Deo & hominibus esto tui contemptor . Qui nequam , & nullo numero habetur in terrâ , is in cælo forsan altiore locum obtinebit , *Domine Iesu noverim me , noverim*

te Aug.

S. APOL.